

ejusdem Ecclesiæ ibidem Missam celebrare ante Missam celebratam a Parocho; nisi aliter Episcopus statuat in Respons., ad 5, ibid., lib. Decr. 34. » Et in Melevitana Jurium Parochialium, 22 Jun. et 20 Sept. 1715, videlicet, « Non ad Parochum, sed ad Rectorem Ecclesiæ sitæ intra limites Parochiæ, spectare deputationem, seu electionem Diaconi, et Subdiaconi assistentis celebrationi Missæ solemnem in dicta Ecclesia, etc., occasione alicujus Festivitat, et si ejusmodi Ecclesiæ careat Rectore, deputatio pertinet ad Patronum, et si non adsit Patronus, ad Custodes, seu Syndicos deputatos ab Episcopo, lib. 75, decretor. » attentis item decis. Rotæ in Civitatis Plebis, 3 Jul. 1705, coram Molines, et 6 Jun., coram Ansaldo.

(10. Item attendenda sunt decreta in Thelesina Anniversarii, et Missæ solemnem, in qua ad dubia; 1. « An celebratio Missæ solemnem pro defunctis cum Anniversario in Ecclesia S. Nicolai sita infra limites Parochialis, et Collegiæ Ecclesiæ Sancti Martini Civitatis Cereti, spectet ad Archiepiscopum, et Canonicos dictæ Collegiæ private quoad omnes, sive potius ad Capellanum dictæ Ecclesiæ cum facultate assumendi in dicta Missa, et Anniversario Presbyteros sibi benevisos? 2. An celebratio Missæ solemnem cum primis, et secundis Vesperis in die Festo S. Nicolai spectet ad dictum Archiepiscopum, vel potius ad Capellanum dictæ Ecclesiæ independentem, et sine licentia Parochi, et cum facultate assumendi Presbyteros, quos voluerit in casu? » Sac. Congr. Concil., die 9 Febr. 1732, respondit: « Ad utrumque negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam, amplius, » apud Thesaurum Resolut. tom. 5 in Thelesina.

(11. Item attendenda sunt decreta a Sac. Congr. Concilii in Asculana Jurium, et Functionum Parochialium, sub die 29 Aug. 1733, jam relata in tom. 9, sub num. 165. Vide ibi, et averte, quod ubi in ipsa ad V dubium, « An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio Doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire. » Sac. Congregatio respondit: *Arbitrio Ordinarii*; attamen Sac. Congregatio Rituum in celebrandis Decretis Urbis et orbis, sub die 10 Decemb. 1703, a Sanctissimo approbata, quoad hoc jam resolverat contra Parochum. Vide ipsa Decreta in hoc ipso art. n. 4, supra relata, in responsione ad decimum septimum. Item observanda sunt Decreta in Nullius, seu Nonantulana Jurium Parochialium, sub die 28 Junii 1744, jam adducta in tom. 9, in Appendice sub num. 265.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(12. Si qua est Resolutio alicujus Sac. Congregationis, quæ finem imponere valeat dissidiis Parochos inter et Confraternitates, ea certe est anno 1704. edita a Sac. Congreg. Rituum, et a Summo Pontifice, ut refert Bened. XIV, Instit. Eccles. 105, n. 92, approbata quam refert Auctor n. 4.

(13. Statuit dicta Sac. Cong. discrimen Confraternitates Sæcularium erectas in Ec-

clesiis Parochialibus, aut Sacellis, vel Oratoriis publicis, vel privatis, quæ a Parochia dependent, ipsique adjiciuntur, inter, et Confraternitates constitutas in publicis Ecclesiis, aut Oratoriis publicis, quæ intra ipsius limites posita sunt; (14. et fere omnia tribuit Parochis in Confraternitates primi generis, non item in Confraternitates secundi generis.

(15. Post hanc resolutionem S. Congregationis Rituum nonnulli Scriptorum putant, plura in Confraternitatibus, et ab eorum Capellanis fieri haud posse, licet Sac. Congreg. statuerit illa ad jus Parochiale minime pertinere; nam, inquiunt, multa inter jura Parochialia non recensentur, sed inter munia solis Parochis in sua ditione convenientia.

(16. Ut autem hanc opinionem comprobent, allegant Decreta Sac. Congregationum, quibus sancitur hoc, vel illud spectare ad Parochum, non autem Sodalitatis, eorumque Capellanis tribuenda. (17. Inter alios vero Baptistellus Fulginatensis Episcopus in Appendice ad suam Synodum pag. 257, « Benedictiones (ait) Cinerum, Candelarum, Ramorum Olivæ, Ovorum, delationes Sanctissimi Sacramenti, Missæ, ac Vesperæ solennes, aliæque Ecclesiasticæ functiones, quæ etsi strictè de jure Parochialibus non sunt, aliquam tamen cum eis connexionem et affinitatem habent, juxta communem infrascriptorum Doctorum sententiam, non ad Confraternitates, earumque Capellanos, sed ad Parochos spectant, excepto casu quo Parochus ipse requisitus hujusmodi functiones se gratis exhibere nolle, alias non posse declaravit. »

(18. Confutat vero hos Bened. XIV, dict. Instit. Ecclesiast. 105, a num. 100, ad num. 111, una monens præter jura Parochialia functiones quoque alias dari, quæ cum iisdem jurebus ita implicite, et connexæ sunt, ut soli Parocho liceat ipsas in sua ditione exercere. Vide omnino eundem, tum Rot. cor. Coccin. decis. 2089, coram Molin. decis. 990, et cor. Lancett. dec. 988.

ARTICULUS III.

Confraternitates, quoad illa, quæ respectu ipsarum Episcopus potest facere, vel non.

(1. Confraternitates Laicorum cum usu Saccorum non solum in propriis Oratoriis, sed etiam in Regularium Ecclesiis, in quibus reperiuntur erectæ, possunt visitari ab Episcopo in his quæ respiciunt administrationem, et adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in una S. Angeli 2 August. 1581, in Bisaccin., 12 Junii 1582; in Caven. 22 Februar. 1595; in Thelesina, 20 August. 1596; in Derthonen., 22 Mart. 1604; in Aquens., 3 Decembr. 1610; in Vercellen., 17 Jul. 1625; in Leopoliens., 31 Januar. 1642; Sac. Congreg. Concil. in Nucerna Pagano-rum, 23 Jun. 1629, et in Urbanien., 23 Septemb. 1690, item S. Congr. Episcop. et Regul. in Fanen. 10 Aprilis 1693, et in Hieracen. 14 Novembris 1698, directa Episcopo illius Civitatis Epistola prout sequitur: (2.

« Questi Eminentissimi miei Signori m'hanno comandato di significarle, che da questa S. C. de' Vescovi e Regolari, è stato più volte risoluto, che gli Ordinari possono visitare le Confraternite dei Laici, erette nelle Chiese de' Regolari, ed altre persone esenti, non solo in quanto agli beni ed entrate loro, con rivedere i conti, ma anche le Capelle stesse in quanto a quello, che riguarda l'amministrazione, ed altri obblighi personali, che spettano alla Compagnia, e Confrati ascritti a quella, cioè in riconoscere se l'entrata ed elemosine, che si danno per adornare, e mantenimento della Cappella, e per accrescere ivi il culto Divino, e divozione del Popolo, siano spese fedelmente, e con effetto s'impieghino ad utilità, ed in beneficio della stessa Cappella, e non in altri usi; non toccando però il restante, che spetta alla cura, e totale amministrazione de' Frati, e Regolari, che son Padroni di tutto il Corpo della Chiesa, dove sono dette Cappelle e Confraternite, come gli Altari, Immagini, ed altre cose materiali affisse, ed utensili Sacri applicati a quelle, sopra de' quali nè i Vescovi, nè altri Ordinarij hanno da ingerirsi, nè usar alcuna giurisdizione e soprintendenza; a segno tale, che non l'è permesso usar alcun atto giurisdizionale nelle suddette Chiese de' Regolari, fuora di quanto s'è detto di sopra. Onde V. S. dovrà governarsi in questa conformità, che tale è sempre stato il senso della Sacra Congregazione. » (3. Ubi vides non posse Episcopum visitare Ecclesias vel Altaria etiam pro servitio dictarum Confraternitatum a Regularibus assignata, nisi quoad onera: prout jam declaraverat Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Bisaccin., 12 Jun. 1582. (4. Immo neque visitare potest Episcopus Altaria, et Capellas in Regularium Ecclesiis per Sæcularium Confraternitates constructa, ut declaravit eadem S. C. Episc. et Regul. in Papien., 22 Aug. 1615, et in Tarracon., 22 Januar. 1616, apud Barb. Apostolicar. dec. collectan. 728, n. 15.

(5. Confraternitates Laicorum visitari possunt ab Episcopis, etiamsi essent erectæ in Ecclesiis, seu Oratoriis fundatis, et extructis in solo, et territorio Religionis Hierosolymitanæ, prout partibus contradicentibus decisum fuit a Sac. Congregat. Concil. in Novarien. Orat. 17 Novembris 1686 in qua fuit declaratum, et firmatum, quod Ordinarius potest visitare Oratorium, et Confraternitatem, et cogere Officiales ad reddendam rationem, absque interventu alicujus personæ e religionis Hierosolymitana deputandæ, et prohibere Confessariis, ne Confessiones Confratrum, et aliorum audiant in Oratorio absque Episcopi facultate. (6. Quinimo Episcopi visitare possunt etiam Confraternitates, atque non a primæva sua fundatione sunt sub immediata Regum protectione, sed solum ex post sub sui immediata protectione sunt a Rege acceptæ; ad hoc enim ut Confraternitates, aliæque Pia Loca existentia sub immediata protectione Regum sint immunia a Visitatione Ordinariorum, debent esse talia a primæva sua fundatione, cum hæc protectio

non concedatur, nisi a Sede Apostolica, et in ipso actu fundationis dumtaxat; si enim Confraternitates, et alia pia loca accipiantur ex post a Rege sub immediata sui protectione, non eximuntur a jurisdictione Ordinarii, ut patet in responsionibus datis ad sequentia dubia in simili de Hospitali: In una Messanen. fuit dubitatum. Primo: « An Hospitale alias non exemptum, si accipiat a Rege sub immediata sui protectione eximatur a jurisdictione Ordinarii, ita ut ab eo visitari non possit, juxta Sac. Concil. Trident. dispositionem sess. 22, cap. 8 de reform. » Secundo: « An Hospitale, in quo rex habet jus patronatus, si alias exemptum non fuerit, visitari possit ab Ordinario. » Tertio: « An per immemorabilem consuetudinem non visitandi aliquod Hospitale excludatur Ordinarius a jure illud in posterum visitandi? » Die 11 Decembris 1621, Sac. Congreg. Concil. ad primum respondit, « Hospitale alias non exemptum non ideo esse immune ab Ordinarii jurisdictione, etiamsi acceptum fuerit a Rege sub immediata ejus protectione, ac propterea hoc non obstat, quominus ab Archiepiscopo visitari valeat. » Ad secundum: « Hospitale, in quo rex habet jus patronatus, si alias exemptum non fuerit, utique posse ab Ordinario visitari. » Ad tertium: « Ejusmodi consuetudinem etiam immemorabilem esse sublatam decreto cap. 8, sess. 22, de reform. ac proinde per eam nunquam excludi Ordinarium a jure Hospitalia visitandi. » (8. Et ratio est, quia Concilium cap. 8, sess. 22, de reform. in quo excipiuntur Pia Loca, quæ sub protectione Regum existunt, nequaquam jurisdictioni Ordinarii in aliquo derogavit, aut detraxit respectu talium locorum, ut respondit Sac. Congr. Concil. in Neapolitana 12 Decemb. 1601, nec tribuit aliquam novam exemptionem prædictis locis, sed tantum præservat, si quam prius habebant, ut sæpius declaravit Sac. Congr. ejusdem Concil. et signanter re diligenter examinata, die 12 Decemb. 1602, in eadem Neapolitana.

(9. Administratores Confraternitatum, sicut et aliorum Piorum Locorum possunt compelli ab Episcopis ad reddendam rationem administrationis, et ad asportandum libros administrationis etiam ad Palatium Episcopale, si sint in loco residentie, seu alterius stationis, et permanentie Episcopi; Sac. Congreg. Concil. in Narnien. 8. Augusti 1693. Montisfalisci 27. Augusti 1695. in Hispanian. Visitationis 18. Augusti 1696. in Novarien. 17. Novemb. 1696. in Calaguritana Visitationis 18. Junii 1701. et Ortonen. 2. Maji 1704. Vide verb. Administrator n. 20. (10. Etiamsi tales administratores rationem administrationis aliis reddere solerent, adhuc vigore dispositionis Concilii principaliter erit adhibendus Episcopus; Sac. Congreg. Concil. in Conversanen. 2. Martii 1697. et in Melevitana 20. Martii 1700. (11. Immo redditio rationis administrationis danda est Ordinariis etiam a Confraternitatibus, aliisque Locis Pii, quæ sunt sub immediata Regum protectione: Et ratio est, quia exceptio locorum,

quæ sunt sub immediata Regum protectione non legitur nisi in cap. 8. sess. 22. de reformat. in quo capite, ut legenti patet, agitur tantum de jure visitandi; non autem in c. 9. ejusdem sess. 22. ubi agitur de rationibus Ordinario reddendis; Caput enim VIII. restringit se ad dispositionem juris communis dicens: In casibus a jure communi concessis; sed caput IX. loquitur indistincte, et generaliter etiam in casibus a jure jam non concessis, ut pluries declaravit Sacra Congregatio ejusdem Concilii, et expresse in Gravinens. 9. Augusti 1569. (12. Et ideo ut refert Pignatell. tom. 1. consult. 43. num. 46. et 47. Sacra Congregatio Concilio sæpius respondit in Neapolitana ut sequitur: Sacra Congregatio, etc., « censuit. cap. 8. sess. 22. de reformat. Concilio Tridentino intelligi, et habere locum in casibus a jure communi permissis. Licere tamen Ordinario ab eis rationem administrationis exigere ex Decreto cap. 9. ejusdem sessionis, nulla habita ratione juris communis. » (13. Ex quo patet, dicit citatus Doctor; Concilium ampliorem facultatem tribuisse Episcopis in rationibus exigendis quam in Visitatione Piorum Locorum; ideo non mirum, si quoad visitationem excipit loca sub Regum protectione existentia; secus vero quoad reddendas rationes, ut etiam notat, et tenet Barbosa Apostolicarum Decisionum collectan. 13. verb. *Administrator n. 2.* ubi citat Decretum supradictum Sacræ Congregationis Conc. in Neapolitana 11. Augusti 1618. Sellius in select. Canon. cap. 23. n. 5.

(14. Episcopus manutenendus est in quasi possessione cogendi Confraternitates Laicorum, quæ utuntur sacco, per Edicta pœnalia, exactionem pœnarum, aliaque juris, et facti remedia, ad conveniendum solitis Processionibus, non obstante aggregatione, nisi habeant privilegium speciale exemptionis; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Viterbien. 9. Decembris 1586. in Turrinana 16. Octobris 1600. in Nolana 2. Maji 1601. in Papien. 15. Februarii 1622. in Camerinen. 16. Julii 1624. in Florentina Violationis, interdicti ad relationem Eminentiss. Card. de Abdua, 2. Februarii 1692. (15. Et in casu quod adsit consuetudo, sic decrevit etiam Sac. Congreg. Conc., in Nucerina Paganorum 15. Aprilis 1690, et in Novarien. Processionum, 16. Aprilis 1692. (16. Ordinarius, seu Episcopus potest per seipsum, vel per suum Delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confraternitatum, et electionibus Officialium, modo non faciat novitates; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Ragusina 1. Aprilis 1596, et in Consentina 14. Julii 1600. (17. Immo potest Episcopus per se ipsum, vel per suum delegatum intervenire, et assistere Congregationibus Confratrum, etiamsi fiant in Ecclesiis, et Oratoriis Regularium, in quibus reperiuntur Societates erectæ, absque eo quod possit excludi; ut respondit Sac. Congr. Episc. et Regul. in Cæsenaten. 24. Novembris 1690, votum tamen dare non debet, ut respondit Sac. Congr. Conc. in Senogallien. 4. Junii 1707. (18. Episcopus pro contributo-

ne Seminarii potest taxare Confraternitatum bona, quatenus sint Ecclesiastica; Sac. Congregat. Concil., in Signina 18. Novembris 1628. (19. Supposita taxa pro Seminario cum solutione continuata ultra triginta annos tenentur Confraternitates ad illius solutionem in futurum, quia ex solutione tot annorum præsumitur, vel quod bona sint Ecclesiastica; vel quod aliquod Beneficium sit eis unitum, et ideo potest Episcopus illas compellere remediis censurarum Ecclesiasticarum, sequestrationis fructuum, et similium; Sac. Congreg. Concil., in Tudertina ad cap. 18. sess. 23. de reformat., 5. Novembr. 1644. (20. Confraternitates tenentur contribuere pro victualibus Visitoris, seu Episcopi visitantis; Sac. Congr. Conc., in Dertonen. ad cap. 3. sess. 24. de reformat., 4. Maji 1652, in Bojanen. 14. Decemb. 1654. (21. Et non obstante consuetudine contraria non contribuendi; Sac. Congr. Conc., in Signina 1670, 2. Aug. (22. Servari debet Decretum Episcopi, ne in Oratoriis Confraternitatum celebretur in Festis ante Parochialem, modo Parochus celebret hora competenti; Sac. Congr. Episc., in Cortonen. 9. Januar. 1587, in Senogallien. 29. Januarii 1613. Vide decreta relata art. 2. num. 4.

(23. Non potest Episcopus se ingerere in administratione bonorum Confraternitatum Laicorum, dum illa non dilapidant; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Castellanen. 14. Novembris 1603. (24. Licet enim Episcopus possit, immo debeat, ad tollendos abusos, et præjudicia Locorum Piorum, Edictis præcavere, ut bona fideliter administrantur: non tamen in administratione se ingerere valet, sed illam Confratribus relinquere, reservato sibi jure competente ex Concilii Tridentini dispositione, c. 8. et 9. sess. 22. nempe confirmandi Oeconomos, et Administratores electos, et ab eis exigendi computa administrationis; nec non etiam juramentum de fideliter administrando, prout auditis partibus declaravit Sacra Congregatio Concilii, in Aliphana 8. Maji 1706, et antea, in Ferentina 15. Martii 1704. (25. Episcopus non potest prohibere Confraternitatibus Laicorum erectis auctoritate Ordinaria, ne faciant expensas extraordinarias excedentes summam scutorum viginti sine sua licentia, quemadmodum declaravit Sacra Congr. Concil., in Urbinaten. 10. Martii 1663, ad cap. 9. sess. 22. de reformat. (26. Episcopus non debet compellere ad unionem Confraternitates; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Narnien. 13. Novembris 1612. (27. Unde Confraternitatum Sanctissimi Nominis Dei, et Sanctissimi Sacramenti terræ Capitonis Narnien. Diœcesis unio facta sine aliqua causa, et absque auctoritate in Visitatione a Vicario Generali Episcopi Narnien. declaratur nulla; Sacra Congr. Rit., in Narnien. Capitonis 24. Januarii 1615. (28. Nulla Confraternitas impediri debet, ne accedat ad funera, modo sine Jurium Parochialium præjudicio; Sac. Congr. Episc. et Regul., in Camerinen. 26. Augusti 1616. (29. Episcopus impedire non potest, ne Confratres Societatis

Mortis incedant cum capite caputio cooperato; Sac. Congr. Episcop. et Regul., in Cajetana 24. Julii 1606. (30. Episcopus non potest prohibere, vel restringere Confraternitatibus, præsertim aggregatis, solita exercitia, puta Societati Morti sepelire Defunctos post horam 23. Sac. Congr. Episcop. et Regul., in Ferrarien. 12. Januarii 1592. (31. vel facere consuetam disciplinam secreto, etsine lumine, Sac. Cong. Episcop. et Regular., in Camerinen. 1. Septemb. 1578. (32. Secus de exercitiis insolitis, si possunt esse occasio scandali, vel disturbandi antiqua; Sac. Congr. Episcop. et Regular. 17. April. 1602.

(33. Confraternitates possunt congregari ubi, et quoties magis eis placuerit, etiam absque Episcopi licentia; Sac. Congr. Episc. et Regul., in una Nullius Putiniani 21. Augusti 1584, quæ rescipit Vicario dicti loci, quod non potuerat prohibere, ne Societas Sacramenti non se congregaret, neque ullam resolutionem caperet absque sua licentia; eo enim ipso quod Confraternitas reperitur legitime erecta, habet jus tanquam legitimum Collegium se congregandi, quoties sibi placuerit, absque licentia Superioris; Rota coram Coccin. decis. 2174, n. 11 et 12. Frances. de Eccles. Cathedral. cap. 25, n. 330. Barbosa decis. Apost. collect. 27, n. 12. Ricciul. Ecclesiast. lucubr., lib. 4, cap. 3, in princip. et cap. 5, n. 5. Monacell. tom. 1, tit. 6, formul. 11, n. 18, 19 et 20, ubi mordicus sustinet hanc opinionem contra Pignatell. tom. 9, consult. 128, contrariam sententiam tenentem. (34. Unde concludit, quod Episcopus non potest generaliter prohibere, quod Confraternitates non possint congregari sine licentia, et præsentia Delegati Episcopi sub pœna nullitatis agendorum, quia est contra juris dispositionem, cui Episcopus non potest derogare. Sicque dicit ipse: cum talis prohibitio de jure sustineri non valeat universim pro omnibus Congregationibus, poterit Episcopus ea uti in aliqua re gravi, quæ involvat præjudicium irreparabile, vel damnum notabile, per modum tamen hortationis, et numquam sub pœna nullitatis, quam infligere actibus Collegii legitime congregati non potest. (35. Et hæc fuit sententia Eminentissimi Petrucci, qui votum suum aperire jussus a Sac. Congr. Concil., in una Pisaur. sub diebus 28. Decemb. 1697 et 14. Jun. 1698, ita Decretum Episcopi super gubernio Confraternitatum cum hac prohibitionem latum, moderandum esse censuit; et Sacra Congregatio censuram voti approbavit. Vide Decreta relata art. 1, num. 4, in responsione ad trigessimum. (36. Capellani Confraternitatum non debent ab Episcopo sine causa amoveri, reluctantibus Confratribus, ut censuit Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Forosempronien. 3. Octobris 1692.

(37. Confratres non possunt quæstare etiam per propriam Ecclesiam, nisi de licentia Ordinarii, ut ex decreto Sac. Congregationis; Missas vero ex quæstibus illis collectas, celebrandas esse in eadem Ecclesia, non vero in Parochiali censuit Sacra Congreg. Concilii; Instit. Eccles. 103, § 131.

(38. Quoad potestatem Episcopo competentem visitandi Confraternitates erectas in Ecclesiis Regularium exemptorum, celebris est Resolutio Sac. Congregationis Concilii interpretis in Nucerina Paganorum 23. Junii 1719. Sacra etc. « In hærendo declarationibus jam factis censuit, Confraternitates Laicorum in Ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illarum Capellas in iisdem Ecclesiis Regularium existentes, in his tamen quæ Confraternitatum administrationem respiciunt. Et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta Altaris, seu Capellæ, onera Missarum atque divinarum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorundem Confratrum relationem habent. »

(39. Hæc autem resolutio licet in casu particulari edita sit, tamen, ut monet Bened. XIV. Institut. Eccles. 103. num. 88. tanquam Lex generalis probata deinde fuit, eisque ipsa S. Congreg. se conformavit, quum ejusdem generis causæ propositæ fuerunt, ut in Cosentina Visitationis, et censurarum 16. Septemb. 1722. in Spoletina 3. Septembris 1730. et in Ravennaten. 7. Aprilis 1731.

(40. Confraternitates vero in Lateranensi solo excitatæ Episcopis minime subsunt ob vetustissimum privilegium Bonifacii IX. quod licet a Pio V. abrogatum fuerit, tamen a Sixto V. in pristinum fuit restitutum.

(41. Notandum vero, quod tunc valet hoc Privilegium, quum Ecclesiæ, Sacella, sive Confraternitates in eo fundo eriguntur, qui prius ad Basilicam Lateranensem jure domini pertinebat. (42. Aliter vero se res habet, si postquam hæ sacre ædes fundatæ fuerint, eidem Basilicæ subiciantur, annumque tributum ob hanc causam solvatur; Rota coram Emerix Jun. dec. 228. n. 5. et seq. et dec. 260. fer. per tot. et coram Lancett. dec. 1385. n. 5. et plur. seq.

(43. Nec omittendum, quod Sixtus V. Episcopo in Ecclesias, aut Oratoria posita in solo Lateranensi, tribuit idem jus, quod in ipsum Episcopum a Tridentina Synodo confertur. Ideoque delegata jurisdictio Episcopo competit. Poterit itaque Episcopus tanquam delegatus visitare sacras ædes hujusmodi, et Confraternitates. Consule Benedict. XIV. Institut. Eccles. 103. n. 90.

(44. De jurisdictione Episcopi in Confraternitates dictum sufficienter est. Dicendum nunc est de Parochi potestate, tum de aliis materiis Confraternitatis respicientibus. Meo judicio juvat hic exscribere resolutionem Sac. Congr. Concilii interpretis in Ferrarien. Confraternitatis 14. Septemb. 1782. in qua certe multa sunt ad rem hanc pertinentia.

(45. Primum Dubium est: An Confraternitas Sanctissimi Sacramenti Terræ Bondeni

habere debeat dependentiam a Parocho in explendis functionibus Ecclesiasticis, ita ut Parochus præter jus parochiale, et superioritatem in casu, etc. Responsum fuit: Competere Parocho jus præminentiae in functionibus Ecclesiasticis Confraternitatis ad formam Resolutionis S. C. Rituum anni 1703. ad primum, et secundum Dubium. In aliis autem actibus ejusdem Confraternitatis posse Parochum habere jus præminentiae quatenus eidem præsit ex delegatione Archiepiscopi.

(46. Secundum Dubium: An competat Confraternitati jus privative quæstuari in Parochiali Ecclesia, et Parochia pro mantentione olei, lampadis ceræ et supellectilium pro functionibus Sanctissimi Sacramenti Parochialis Ecclesiæ in casu, etc. Responsum fuit: Negative et amplius, et quæstus faciendas esse ad formam Decreti anni 1779 Eminentissimi Archiepiscopi.

(47. Tertium Dubium est; et quatenus negative: An Confraternitas ultra servitium personale teneatur adimplere supradicta onera ex propriis Oratorii redditibus, seu potius Parochus ex retractu quæstuum Sanctissimi Sacramenti, et ex propriis Parochiæ redditibus in casu, etc. Fuit responsum expensas necessarias pro cultu Sanctissimi Sacramenti faciendas esse primum ex quæstus sive a Parocho, sive a Confraternitate in hanc causam faciendis, deinde ex redditibus bonorum intuitu Sanctissimi Sacramenti a Confraternitate acquiritorum, et in subsidium tandem ex redditibus Parochi et amplius.

(48. Quartum Dubium est: An Confraternitas subministrare teneatur propria paramenta, sacrasque vestes, et supellectilia pro Ecclesia Parochiali in sacris functionibus quæ non pertinent ad Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in casu, etc. Et quatenus negative.

(49. Quintum Dubium est: An teneatur Confraternitas ad mantentionem ceræ, et supellectilium pro Missa festiva Parochiali, pro canendis Missis, Vesperis in festivis anni diebus, aliisque sacris functionibus peragendis in Ecclesia Parochiali seu potius Parochus ex Parochiæ redditibus in casu, etc. Ad quartum, et ad quintum responsum fuit: Servetur Decreta Eminentissimi Archiepiscopi Magalotti anni 1628. et Eminentissimi del Verme annorum 1708 et 1712. pro festivitibus vero, et functionibus non spectantibus ad cultum Sanctissimi Sacramenti provideat Eminentissimus Archiepiscopus prout ipsi opportunum videbitur.

(50. Sextum Dubium est: An statuta publicata anno 1780. sint exequenda in casu, etc. Fuit autem responsum dilata, et videatur particularitas.

(51. Septimum Dubium est: An constet de legitima expulsionem Confratrum seu potius sint reintegrandi in pristinum statum in casu, etc. Responsum fuit: Affirmative ad primam partem, ad secundam arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi, et amplius.

(52. Octavum Dubium est: An constet de

damnis ita ut sit locus emendationi, et respective restitutioni emolumentorum perceptorum in occasione carcerationis Herculis Ferrarii in casu, etc. Fuitque responsum: Negative in omnibus, et amplius.

(53. Nonum Dubium est: An, et quomodo libri, et scripturæ Confraternitatis sint custodiendæ in Archivio ejusdem Confraternitatis in casu, etc. Fuit responsum: Servandos esse libros, et scripturas in Archivio Confraternitatis ad nutum Archiepiscopi, et amplius.

(54. Decimum Dubium est: An, quomodo, et quo tempore sint celebrandæ Missæ, audiendæ Confessiones, et pulsandæ campanæ in Oratorio Confraternitatis in casu, etc. Fuit responsum: Arbitrio Eminentissimi Archiepiscopi, et amplius.

(55. Undecimum Dubium est: An ad litis expensas teneatur Confraternitas, seu potius Carolus Buintli aliique subscripti, in mandato procuræ in casu etc. Fuit responsum: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et amplius.

ARTICULUS IV.

Confraternitates, quoad immunitatem a potestate et jurisdictione laicali.

(1. Confraternitates auctoritate Apostolica, vel Ordinaria erectæ subsunt jurisdictioni Episcopi, ac etiam ipsi Confratres, ubi agitur de interesse spiritualitatis, et Confraternitatis; Sac. Congregat. Immunitatis in Papien. 10 Septembris 1629. lib. 2. Decr. Paul. pag. 6. (2. Cognitio causæ contra Confratres Confraternitatis N. spectat ad Archiepiscopum; Ead. Sac. Congr. Immunit. in Mediolanen. 17. Novemb. 1654. l. 5. Decr. Paul. pag. 57. (3. Sicut et causa contra Confraternitatem habentem requisita spectat ad Judicem Ecclesiasticum; Eadem Sac. Congreg. in Gravinen. 21. Sept. 1663. lib. 2. Decret. Paul. pag. 131. (4. Causæ jam cognitæ a Judice Ecclesiastico circa bona debita Confraternitatibus spectant ad Judicem Ecclesiasticum, nec potest Judex Laicus reassumere, seu inhibere; Ead. Sac. Congreg. in Ortana 28. Septembris 1694. lib. 1. Decret. Valleman. pag. 149. (5. Confraternitates Ecclesiasticæ gaudent exemptione a gabella pro pane, qui ab eisdem datur Custodibus animalium ipsarum Confraternitatum pro eorum victu; Eadem Sacra Congr. in Potentina 24. Jan. 1611. lib. 4. Decr. Paul. pag. 135. (6. Domus Confraternitatis contigua Ecclesiæ Confratrum gaudet immunitate, etiam quoad confugientes; Eadem Sac. Cong. in una Civitatis Castelli 23. Jul. 1652. lib. 4. Decret. Paul. pag. 189. in Forolivien. 19. Decemb. 1690. lib. Decr. Mart. pag. 698. (7. Locata vero Laicis non gaudet; Eadem Sac. Congreg. in Reatina 14. Decembris 1628. (8. Administratores et Procuratores Confraternitatum, Ecclesiarum, et Capellarum auctoritate Episcopali fundatarum, quarum proventus in Opera Pia insumuntur, etiamsi sæculares, quoad ea, quæ pertinent ad dictam administrationem, conveniri debent ante forum Ecclesiasticum; Ead. Sac. Congreg.

in Carinolen. 15. Aug. 1668. l. 1. Decret. Altovit. pag. 252. (9. Judices sæculares, qui Confraternitates, seu Confratres per præcepta compellunt ad se subjiciendum suis judiciis pro rebus ipsarum Confraternitatum, et pro actibus, quo faciunt in locis sacris, et alios, ut processionum et similium, tamquam usurpatores jurisdictionis Ecclesiasticæ declarandi sunt incurrisse Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ex Riccio in praxi var. resolut. c. 413. Pignatell. tom. 2. consult. 47. num. 7. (10. Unde datur facultas absolvendi Gubernatorem, dummodo prius revocet præceptum factum Officialibus Confraternitatis, et omnia alia acta ipso facta in præjudicium Jurisdictionis Episcopalis; Sac. Congr. Immunit. in Alatrina 13. Decembr. 1692. lib. 1. Decr. Valleman. pag. 10.

(11. Et ad hanc rem facit Epistola scripta Archiepiscopo Mediolani a Sacra Congregatione Immunitatis in hæc verba a Pignatello loco citat. num. 8. relata: « Questa Sacra Congregazione dell' Immunità Ecclesiastica per rimediare agli abusi, che si vanno introducendo in Milano da quegli Assistenti Regii, che deputa il Senato a tutte le Congregazioni, e Capitoli di Confraternità, Ospedali, e Luoghi Pii, dove congregandosi persone laiche, questi trapassano i limiti della propria autorità, ed istituto, non solo ingerendosi nell' amministrazione dell' entrate, distribuzione di elemosine, adempimento di Legati, elezioni d' Officiali, e governo spirituale de' medesimi, ma col voler ancora aver voto negli stessi Capitoli in grave pregiudizio dell' Immunità Ecclesiastica, dopo matura riflessione, ha risoluto che V. Eminenza proibisca a' detti Assistenti Regii l' uso del votare nelle Congregazioni, e Capitoli, che si fanno negli Ospedali, Confraternità, e Luoghi Pii, e che in oltre s' incarichi alla pastoral sua vigilanza di così far eseguire, ed insieme di non permettere che tali persone Laiche s' ingeriscano all' amministrazione, e governo de' suddetti Luoghi Pii, al qual effetto si vaglia V. E. delle sue facoltà Ordinarie, il cui esercizio ben si promette la medesima Sacra Congregazione di aver sempre mai ad osservare con zelo unito alla solita prudenza dell' E. V. alla quale bacio umilmente le mani, ai 20 di Settembre 1567. (12. Item alia Episcop. Nolano missa ad hunc tenorem: Questa Sacra Congregazione avendo sentito da quando le ha fatto rappresentare V. S. col suo memoriale, il pregiudizio, che vien inferito alla libertà, e giurisdizione Ecclesiastica dal Reggente della giurisdizione Laica per aver egli ordinato, che i Fratelli di alcune Confraternità di cotesta Diocesi per venire all' elezione de' loro Uffiziali non si radunino più come prima per uso inveterato, ma si radunino nelle piazze, senza che v' intervengano gli Ecclesiastici, è venuta in parere, che V. S. in ciò debba procedere, servatis, servandis, come di ragione; e per quanto le occorrerà l' assistenza di Monsignor Nuncio, basterà che V. S. gliene accenni il bisogno, avendo

gia egli avuto l' ordine di prestargliela secondo che da lei ne verrà richiesto; a' 22. di Nov. 1667. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(13. De materia hujus articuli confer Amostazzo de Causis Piiis, et Bassi de sodalit. qu. 8, per tot. ubi una docet, quando Confraternitates dicendæ sint Ecclesiasticæ, quando Laicales.

ARTICULUS V

Confraternitates, et confratres quoad sepulturas.

(1. Confraternitatibus potest ab Episcopo concedi privilegium sepulchri; sic communiter Doctores teste praxi. (2. Confratres tamen decedentes non electa sibi explicite sepultura in sepulchro sui Oratorii, seu Confraternitatis, debent sepeliri in Ecclesia Parochiali, si alias non habeant proprium sepulchrum majorum; Sac. Congreg. Conc. in Neapolitana 13 Februarii 1660. In respons. ad septimum. (3. Electio sepulturæ facta a Confratribus collective, et collegialiter, sustinetur, et valet solum pro illis qui individualiter consenserunt, ut patet ex sequentibus declarationibus super electione sepulturæ facta, ut sequitur: (4. « Confratres et consorores consueverunt collective, et collegialiter per publicum instrumentum eligere sepulturæ suæ locum in Ecclesiis, et signanter Regularium, in quibus eadem sodalitates erectæ reperiuntur, absque tamen voto; juramento, aut promissione de non revocando electionem; et nuper Confratres Artifices Congreg. Assumptæ erectæ in Ecclesia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii per libellum a Sanctissimo D. N. remissum supplicarunt hujusmodi electionis sepulturæ modum validum declarari.

(5. « Super his confecto processu per Eminentissimum Archiepiscopum, dataque relatione, quæ in folio per manus Eminentiss. PP. transmittitur, hodie informante tantum Capitulo Ecclesiæ Archiepiscopalis Neapolis quæritur; An hujusmodi electio sepulturæ collective, et collegialiter facta sustineatur in casu, de quo agitur. »

(6. Die 16 Maji 1682, Sac. Congreg. Concil. etc. respondit sustineri electionem sepulturæ collective factam per Confratres, individualiter consentientes. Et die 9 Decemb. ejusdem anni 1682 reposita hujusmodi causa, utraque parte ore, et scriptis informante, stetit in decisio, addita clausula... revocabilitate tamen.

F. Card. Columna Præfectus

A. Altovitus S. C. C. Secretarius.

(7. Ubi vides per illa verba, individualiter consentientes, aperte denotari, quod Confratres, quamvis collective et collegialiter sepulturam eligant, adhuc non comprehenduntur illi, qui nominatim, et individualiter non consenserunt, cum Confratres præsentibus, et individualiter pro se ipsis consentientes non possint pro aliis absentibus, et successoribus sepulturam eligere, ut declaravit etiam Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Camerinen. 18 Augusti 1690. (8. Hinc Confratres Confrater